

nis, avaritiæ, aliorumque pravorum affectuum: quamvis præceptum non servetur, nec superetur tentatio, sicut oportet; sed ut clavus clavo, vitium vitio pollitur. Sic dicit Jansenius, fornicationis tentationem subinde superari posse sine gratiâ, motivo solius avaritiæ, aut superbiæ: attamen absque victrice gratiâ semper peccato aliquo hominem quemcunque necessariò labi.

31 Audiatur lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 18. Ita, inquit, peccato perit libertas arbitrii ad faciendum bonum, ut ante gratiam non solum non possit universam legem moralis honestatis implere; sed nec unam quidem, nec unum opus ejus. Ita inducta est peccandi necessitas, ut in omni actu, quo legem sibi videtur vel servare, vel transgredi, reus alicujus peccati teneatur. Lib. 3. cap. 15. sine gratiâ superari non potest ulla tentatio, vel si superetur, alio etiam peccato superatur. Non itaque ad imputandum Quesnellum sensum hæreticum propositionis primæ à Jansenio intentum, necesse fuit supponere, quod Quesnellus à nobis necessariò supponi existimat, sine gratiâ solis naturæ viribus, sed uno peccato aliud declinari non posse. Cur enim credidissimus Quesnellum Jansenii adeò in cæteris passim studiosè sequacem, hic recedere ab eo voluisse? Non recessisse autem, allata ejus responsio convincit. Magna scilicet est Quesnelli, & Jansenii erga proximos benignitas, ut eis, quoties gratiâ insuperabiliter efficaci adjuti non fuerint, perpetuam imponat peccandi necessitatem; optionem tamen relinquat inter peccata, velintne potius V. G. ambitioni, aut avaritiæ, quam fornicationi consentire. Sic misero indeclinabiliter maclando magnum, Quesnellum Judice, solatium, magna libertas præstaretur, oblatâ inter gladios electione ejus, quo mallet occumbere. Sed, & in hac quantumvis exigua concedenda peccantibus libertate, dormitassent Jansenium, vel fallere voluisse, exploratum est. Si enim, ut hæreseos suæ fundamentum statuit, nos velle, & operari necesse sit, secundum id, quod amplius nos delectat, delectatione indeliberatâ, quomodo tentationem fornicationis avaritiâ, aut ambitione vincere quis poterit, ubi carnis illecebra magis, quam pecuniæ, aut honoris amor delectaverit?

32 Dolo etiam pudendo plenum est, quod ait Quesnellus, omnes, absente gratiæ auxilio, à justitia decedentes, cadere, non ex difficultate præceptorum; sed ex corruptione animorum, defectum potestatis inferente solummodo voluntarium. Quæ corruptio animi prævia est in eo, qui hætenus justus fuit, nunc autem primum, negato omni auxilio sufficiente, laberetur?

Defectus potestatis, ex denegatione omnis sufficientis auxilii, quomodo hic est labenti voluntarius, nisi quatenus verum est, eum voluntate labi, sed non voluntate liberâ, ut potè quàm impedire non potest; nisi etiamnum Quesnellum placeat damnatus hic 39. articulus Baji: *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit?*

33 Quod fit quando volumus, aut non fit quando nolumus, in nostra est potestate, si tum velle, tum nolle possimus; at si volitioni necessitate adstringimur, neque volitio, neque volitio in nostra dicitur esse potestate. Atqui deficiente gratiâ, cum juxta Quesnellum nihil boni agere possimus, non adest potestas volendi efficaciter servare præcepta; sed eorum impletionem, & volitionem ea implendi efficacem prætermittimus necessariò. Quid enim aliud est prætermittere necessariò, quàm facere non posse? Imò omnia, quæ voluntate fiunt, tunc impossibilia dicenda sunt, quando velle est impossibile, ut bene velle absente gratiâ efficaci est impossibile, si juxta Quesnellum nihil sine illa boni facere possumus.

34 Quare, cum Quesnellus ait, *Hominem omni gratiâ privatum bene agere potuisse, si voluisset*, etsi nec bene velle potuerit, atque adeò nec bene agere, imitatur stolidam Wickleffistarum argutiam, quàm Waldensis tom. 1. lib. 1. cap. 15. vocat *Glossam communem Wickleffi, & generale emplastrum*. Sub hac, inquit, *glossa communi, POTEST SI VULT, sedent omnes Wickleffista securi, non tamen sicut Elias sub Juniperi umbrâ; sed sicut Jonas sub bedera*. *Accedat igitur vermis ille, qui est prima veritas, mentiar, si radices hujus glossæ non comedat, unde herba marcescat. Cur negas Deum posse majorare mundum? Quod tamen potest, si cum vult, potest. Non, inquis: Cur hoc? Quia non vult, & nihil potest, nisi volens. Jam ecce supposui tibi, quòd velit. Non, inquis, potest velle, sed, si vult, potest.*

35 Quam stropham expendens Franciscus Simonis lib. de Fraudibus hæreticorum parte 2. Fraude 13. exclamat: *Pro! Vitiligatorum graphicum. Imitatores habuit Lutherum lib. de servo arbitrio; Rivetum in sum. controv. tract. 4. q. 3. & quos non hæreticos libertatis hostes?* Hos sequi placuit Quesnellum dum non aliam tribuit libertatem, quàm sub conditione impossibili: Homo scilicet juxta ipsum destitutus omni gratiâ, etsi nec bene agere, nec bene velle potuerit, tamen velle potuisset bene agere, si voluisset. Pro quo errore suo frustra citat Cardinalem Bellarminum, quo nemo clarius ipsi adversatur.

36 Sic nempe Eminentissimus ait, cap. 8.

Tunc